



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XXIX. De colloquio spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

7. Aliquid, age, doloris hic sustineamus, ,,
Paulisper hic, anima mea & corpus meum, ,,
in societate Jesu Christi patiamur. ,,

8. Volo, Magister meus ac Dominus me- ,,
us, volo, inquam, in hac occasione saltem, ,,
à longè ineffabilem patientiam & constan- ,,
tiam tuam, tum exhibitam, ubi cruentos ac ,,
sævos à tortoribus tuis ictus excipiebas, imi- ,,
tari. ,,

Quando noxæ alicujus expiandæ causâ, in
publico, sive in Refectorio, sive in Capitulo
flagellis se cædere quis habet, directio ista
erit.

Jam nunc, Domine Deus, in conspectu to- ,,
tius communitatis istius videri cupio, reve- ,,
rà qui sum, peccator ac sanctissimis tuis re- ,,
bellis mandatis. Gratiâ mihi concede, ut ,,
pœnam istam genuino subeam compunctio- ,,
nis sensu, neque hic ullâ mihi metipsi parcâ ,,
ratione: Utinam id cedat in meorum remis- ,,
sionem peccatorum, mulctam honorariam, ,,
ac debitam, quam tuæ exhibeo Majestati, sa- ,,
tisfactionem. Virgo sacratissima, tuâ mihi ,,
opem ferto intercessione. ,,

CAPUT XXIX.

De Colloquio Spirituali.

Religio perfectionis Schola est, ubi divinæ
studemus Philopiæ, non quidem ut alter
cum altero disputet, sed ut piorum sensuum
nostrorum communicatione invicem ad virtu-
tum extimulemus exercitium.

Est

Est etiam veluti conventus Mercatorum pro æternitate negotiantium, ac cœlestes veritates, veluti totidem gemmas pretiosas, quærentium, sicut Evangelica fert parabola: *Simile est Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Matt. 13. 45.

Veluti ergò hujus sæculi mercatores, quibus ingens est lucri faciendi desiderium, libenter ac liberè ad ea loca se conferunt, ubi aliquid addiscere queant, quod ipsorum negotiationem promoveat, ubi vili pretio merces emuntur & magno venduntur: ita boni Religiosi esse si voluerimus, in perdiscendis altioris perfectionis consequendæ, atque opum nostrarum spiritualium, putà virtutum, amplificandarum rationibus mira quædam nobis suavitas ac delectatio erit. Hoc fit colloquiis & collationibus spiritualibus.

Directio.

“ Domine Jesu Christe, qui verus es perfectionis Magister, ecce ut pusillus discipulus tuus ad cœlestem Scholã tuam me confero.
 “ Da mihi, rogo te, istam gratiam, ut illic addiscam ac memoriã retineam bonos animi sensus ac sententias Fratrum meorum, nec non quæ mihi suggerentur in virtutibus proficiendi rationes. Virgo gloriosissima, obtine mihi hanc gratiam.

Spiritus actionis istius consistit in eo, ut sincero proficiendi teneamur desiderio, ut magnâ cum humilitate nostra dubia proponamus absque ulla de ignorantia nostra concepta verecundia, ut, ubi interrogati fuerimus, simpliciter respondeamus, quin ulli verborum apparui

Latui studeamus, aut prœdere velimus nostri acumen ingenii, quæ plerumque omnem cordis devotionem exiccant, ac tabescere faciunt; ac denique ut graviter ac seriò illic nos geramus, quantumvis aliquando ex nativa & candida naturæ astutiarum, atque à ratione dissentaneorum obrentuum, sive, ut vocant, prætextuum, quibus utitur, mortificationem ut subterfugiat, recensione ad risum provocari possemus.

CAPUT XXX.

*De audienda concione.**Directio.*

Spiritus sancte, qui Doctor es Ecclesiæ de cœlo à Domino nostro Jesu Christo missus, ut æternas nobis suggereres veritates, cor, obsecro te, meum ad verba vitæ, quæ per Prædicatorem, tanquam organum tuum, prolaturus es, ita accipienda compone, ut cœli fructus producam. Virgo gloriosissima, quæ Verbum divinum concepisti, ac mundo dedisti, id age, ut ego verbum Dei convenienti jam devotione accipiam.

Interior dispositio in eo sita erit, ut 1. Prædicatorem consideremus veluti Prophetam, aut veluti Oratorem à Rege cœlesti nobis ad annunciandas voluntates suas submissum. 2. Ut à Deo illi petamus spiritum ipsius, ut suo ritè fungatur officio, fructuosè concionando. 3. Ut illum magnâ cordis atque animi cum simplicitate, ac pura proficiendi in virtutum exer-